

regens collegii Romani S. Thomæ super Minervam, ord. Prædicatorum, de mandato reverendiss. S. P. A. magistri, legi has *Noctes Ravennates* Io. Matthæi Caryophili, noctes utique, secundum regium et propheticum oraculum, lumine diescentes et robustis deliciis abundantes. Decet sub Gregorio sanctiss. pastore tales prodire vigiliarum fructus, quibus Ecclesia par referat græcis et latinis vatibus, et pietate præripiat palmam, ut non iam phanatici sint poetæ sed sapiant et deo canant. Censeo dignum opus, nocturni licet vocabuli, pleno lumine, quod scilicet nihil habeat pietati non favens. Dedi et subscripsi in S. Mariæ super Minervam, 13 kal. septemb. M.DC.XXI.

Fr. Nicolaus Richardius.

Voici maintenant l'épître dédicatoire :

LUDOVICO CARD. LUDOVISIO, SUMMI PONTIFICIS  
GREGORII XV FRATRIS FILIO, S.R.E. CAMERARIO, BONONIÆ  
ARCHIEPISCOPO, DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,  
IO. MATTHÆUS CARYOPHILUS

Omnia nox peperit, veteres dixere sophistæ,  
et chaos et rerum vilis abyssus erat.  
Mens tandem advenit, rebusque inclaruit ordo,  
demulcentque oculos quæ prius horror erant.  
Nox etiam peperit mihi carmina præpete somno,  
quæ vel Villa Petri, quæve Ravenna dedit,  
Aldobrandini Villa augustissima Petri,  
et titulis centum splendida metropolis.  
Præstabat, fateor, terra hæc et marmore condi,  
præstabat tenebris illa iacere suis.  
Quid facerem? Mens ipse venis, lux aurea surgis,  
disjicis & tenebras, & chaos ordo tenet,  
mens summo ingenii quæ vincis acumine mentes,  
mens virtute potens, mens pietate potens.  
Aurea post hyemem, post nubila lux & in Urbe,  
Gregorii radiis lux et in orbe tui.

